C. PLINII CAECILII SECUNDI VITA INGENIO MORIBUS QUAERITUR

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIV. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXV

HORA X.

CONTRA ADVERSARIOS

C. WIESSNER, DR. PHIL., PRAEC. ORD. GYMN. ELISABETANI
A. DEGEN, CAND. PHILOL.
F. HEYNE, STUD. PHIL.

PUBLICE DEFENDET

JOSEPHUS JOANNES TANZMANN

SILESIUS.

VRATISLAVIAE.

TYPIS OFFICINAE A. NEUMANNI.

VIRO SERENISSIMO

HUGONI

PRINCIPI DE HOHENLOHE

DUCI UIESTENSI

HUNC LIBELLUM

PIE GRATEQUE

d. d. d.

AUCTOR

Haud raro fieri solet ut quae studia nobis adolescentibus fuerint jucunda, iis serius ocius seu hac seu illa re permoti iterum operam navemus. Quamvis enim me gymnasii Saganensis primae classis alumnum, maxime Kayser viri doctissimi consilio adductum valde delectarent G. Plinii Caecilii Secundi epistolae rerum Romanarum varietate et copia, quarum cognitionem non satis accuratam eo tempore habebam, quamvis diligenter postea, quum inter cives academicos almae matris Viadrinae essem, quales illius scriptores fuerint virtutes, animo et cogitatione comprehenderem tamen eo tempore, quum munus liberos educandi suscipere quasi cogebar, illa studia paullatim evanescebant. Novissimo autem tempore, quum apud Haase, virum illustrissimum essem et de G. Plinio Caecilio Secundo ageretur, denuo animus mensque traducebatur ad illum scriptorem. Itaque de vita ingenio moribus Plinii aliquid accuratius proferre constitui; intellexi enim, eum a plurimis viris doctissimis, qui in antiquitate latina exploranda ingenti cum diligentia et magno cum fructu elaborarint, valde esse neglectum. Quamvis enim Gesner, Schwartz, Titze, Gierig, Thierfeld, Doering, viri doctissimi multa ad dilucidum perduxerint, quae ipse antea senseram et alia ab his melius edocerer, tamen fieri non potuit, quin nonnulla, quae mihi probata viderentur ab illorum sententiis discreparent et accuratiore argumentatione indigerent. Praeterea nulla fere certa sententia exstat apud illos Plinii interpretes, quid hic de diis eorumque vi ad res humanas, quid de optima reipublicae forma, quid de principatu senserit.

Attamen tantum abfuit, ut hac materia electa tanta arrogantia essem, ut me tironem in hujusmodi commentationibus

aliquid perficere posse putarem, quod ex omni parte comprobaretur, ut spes me ad hoc consilium incenderet fore ut viri me peritiores et in antiquitate Romanorum magis exercitati adducerentur, ut suam ipsorum sententiam proferentes me edocerent.

Qua quidem spe commotus omnibus viribus elaboravi et quodcumque mihi otium fuit a munere liberos educandi in eo comsumpsi, ut perlectis et denuo retractatis scriptis Plinii nec neglectis sententiis virorum doctissimorum, quos supra commemorari, morum ejus descriptionem, quod ego quidem scirem, quam planissime exponerem.

De vita G. Plinii Caecilii Secundi.

A. de vita publica.

G. Plinius Caecilius Secundus natus est anno DCCCXV u. c. vel anno LXII post Christum natum, anno septimo principatus Neronis. Et hoc anno Plinium esse ortum satis apparet ex epist. VI, 20, 5, ubi ipse eruptionem ignium Vesuvii montis, quam anno LXXIX fuisse satis constat, describens dicit: „agebam enim duodevicensimum annum". (Usus sum editione Henrici Keil, Lipsiae 1863.) Hac de re conferatur etiam Massonius pag. 1 et 30. C. Plinii Secundi Junioris vita ordine chronologico digesta, Amstelodami 1709) Patria Plinii fuit Novum Comum, municipium Galliae Transpadanae, lacui Lario vicinum cf. ep. IV, 30, 1. VI, 24, 2 et 5. VII, 11, 5. Ortus autem est patre Lucio Caecilio (Masson. pag. 2, II) et matre Plinia, sorore Plinii illius historiae naturalis scriptoris. De ordine Caecilii patris nihil satis constat; quamquam gens Caecilia plebeja fuit, tamen eam summum locum in civitate tenuisse et ordinis equestris fuisse (Novocomensis) apud Vellej. Paterculum II, 11, 3 legimus et apud Livium IV, 7; ubi jam anno CCCX a- U. c. Titus Caecilus tribunus militum consulari potestate creatus commemoratur. Quam veterem suae gentis nobilitatem secutus ipse ep. VIII, 10. 3 dicit Plinius: „quibus (liberis) videor meo latere pronum ad honores iter et audita latius nomina et non subitas imagines relicturus", et ep. X, 8. 1. „statuas principum, quas in longinquis agris per plures successiones traditas mihi quales acceperam, custodiebam".

Sed quum ei nonum demum annum agenti pater Caecilius praematura morte esset ereptus, contigit, ut Verginius Rufus tutor (ep. II, 1, 8) et C. Plinius Secundus Major avunculus, duo viri illustrissimi, rationibus ejus diligentissime prospicerent ac consulerent, quorum alter ei adfectum patris exhibebat, iter ad honores pronum faciebat eumque omni modo in muneribus publicis assequendis adjuvabat, alter non solum adoptione fortunam, jura, facultates nomen cognomen ad eum transferebat (cf. Cicero. pro dom. 13.), sed etiam exemplo assidui et acerrimi studii literarum ingenuarum et diligenti liberalique instituendi ratione quasi semina omnium virtutum animo pueri insevit, quae postea in juvene et viro ad tantam maturitatem pervenerunt, ut jure optimis sui saeculi viris adnumeraretur. Et grato semper animo Plinii memoria hujus viri inhaesit; nam summa pietate et reverentia ejus mentionem facit ep. III, 5, 6 seq. laudans ejus acre ingenium, incredibile studium, summam vigilantiam et VI, 16, 3 beatum eum praedicans, quod „et fecit scribenda et scripsit legenda". Quid igitur mirum, quod summum gaudium et solatium in litteris positum neque „aliud tam laetum, quod his laetius, tam triste, quod non per has minus esset triste" putaret (VIII, 19, 1.) quippe qui illum virum ad imitandum in studiis sibi proposuisset, qui totam vitam in rebus naturae complicatis indagandis et evolvendis degerat?

Haud minus aliorum aequalium beneficiis erat obstrictus, qui ei magno erant praesidio in conformandis et ingenio et moribus, ut Corellii Rufi, quem „vitae suae testem, rectorem, magistrum" collaudat ep. I, 12, 12 et „suffragatorem et testem in petendis honoribus, deductorem et comitem in inchoandis, consiliatorem et rectorem in gerendis" ep. IV, 17, 6; ut Aruleni Rustici, quem „adolescentiam ipsius exhortationibus fovisse laudibusque effecisse, ut laudandus videretur", dicit ep. I. 14, 1; ut Hispullae, amitae uxoris, quae a pueritia Plinium „statim formarat, laudarat, talemque qualis postea uxori suae videbatur, ominata erat", cf. ep. IV, 19, 7.

Praeterquam quod Plinius avunculus maximam curam in animo Plinii junioris excolendo adhibuit, usque ad quartum vel quintum decimum annum eruditus est more Romanorum illius temporis a magistris domesticis sive grammaticis (cf. Quintil. instit. libr. IV, proom. et lib. II, cap. 4.). Quo facto, toga virili ornatus scholas rhetorum frequentavit, cui

studio juvenes Romanorum, qui altiores dignitatis gradus ascendere studebant, illis temporibus maximam operam navabant. Nam libertate reipublicae Romanae plane extincta, quum, „terror et metus et misera illa ex periculis facta prudentia monerent, ut cives a republica (nulla erat autem omnino respublica) oculos, aures animos averterent (cf. paneg. c. 66.) quum maximo periculo esset, ea quae sentirent, promere in medium, studia in scholas rhetorum confugerunt, qui communi temporum iniquitati servientes in philosophia ita praecipere solebant, ut discipulis id comprobarent, quod commodo hujus alteriusve maxime inserviret. Qui quanquam in hac arte exercenda id potissimum agebant, ut in utramque partem disputarent eandemque sententiam veram ac falsam demonstarent, atque disputandi ratio eorum ex simplici et naturali puchritudine elegantiaque orationis abhorrebat, propter quod ad ostentationem atque venditationem facta erat, tamen infitiandum non est, permultum illos valuisse et maximo usui fuisse ad eloquentiam juvenum excolendam. Cui disciplinae ac studio Plinius, quum magna sibi proponens, tum summa cupiditate inflammatus, ut litterarum laude gloriam immortalem sibi compararet, se dedit et fortunae beneficiis adjutus usus est magistris praestantissimis Nicete Sacerdote et maxime Quintiliano, qui tum summa laude eloquentiae florebat, cf. ep. II, 14, 10. VI, 6 3. Et alii viri doctissimi, Cajus Musonius, (III, 11, 5), Artemidorus (ibid.) Euphrates (I, 10.) Stoici Plinium in intimos philosophiae recessus induxerunt, quorum in sententiis et institutis ipsum, at certe non absolute et simpliciter, permansisse ex scriptis cognosci potest. Praeterea hoc quoque pro argumento acerrimi studii litterarum Plinii ponam, quod puer quatuordecim annorum tragoediam lingua graeca confecerat, praenuntiam quandam studiorum poëticorum (VII, 4, 3), quae quum minore laude et admiratione essent digna, quam certa ejus scripta, oblivione obruta non graviter dolemus.

Hoc igitur studio litterarum accensus summam operam praestantissimis antiquitatis scriptoribus perlegendis, retractandis excerpendis navavit, quorum permulti loci reperiuntur in epistolis, ut Cicerone, quem praecipue imitatus est, ep. I, 5, 11. Livio VI. 20, 5. Calvo I, 2, 2. Catullo IV, 14, 5. Asinio Gallo VII, 4, 4 et 6. Lucretio IV, 18, 1. Pompejo Saturnino I. 16, 1. Demosthene I, 2, 2. IV, 7, 6. IX, 26, 8 sequ. et Lysia I, 20, 4. Aeschine IX, 26, 11. I, 20,

4, II, 3, IV, 27, 6. Isaeo II, 3. Thucydide IV, 7, 3, V, 8, 11. Xenophonte VII, 32, 2. Homero I, 7, 1. I, 20, 22. I, 18, 4. V, 19, 2. V, 20, 8. VI, 8, 3. VIII, 2, 8. IX, 1, 3. IX, 13, 20, IX, 26, 6. Euripide IV, 11, 10. Eupolide I, 20, 17.

Quo modo ubi Plinius animum omnibus disciplinis, quibus tum via ad honores forenses et ad munera publica muniebatur, praeparavit composuitque, jam adolescentulus (ep. I, 18, 3) undevicesimo anno aetatis dicere in foro coepit (V, 8, 8.) et constantia prompta assecutus est ut „res prospere cederet atque adeo illa actio ei aures hominum, illa januam famae“ patefaceret. I, 18, 4.

(Refellendam igitur censeo Massonii sententiam pag. 46, qui a Plinio hanc primam actionem esse habitam post reditum ex Asia contendit; effugerunt eum verba Plinii ipsius: „undevicesimo anno aetatis dicere in foro coepi“.)

Et jam antea quum sanctitas morum, tum acumen ingenii, quae virtutes summam spem atque exspectationem habebant, oculos animosque non solum civium, verum etiam hominum provincialium in Plinium converterant, cujus rei exemplum est, quod Tiferni Tiberini eum eo tempore paene adhuc puerum patronum cooptarant, ut ipse ait „tanto majore studio, quanto minore judicio.“ IV, 1, 4, qui quidem honor iis tantum habebatur ab urbibus provinciisque imperii Romani, qui honestate, fide, integritate vitae optimam sui exspectationem concitaverant.

Anno vero LXXXI p. Chr. n. Tito imperatore mortuo, Plinium a Domitiano fratre et successore illius dissimillimo flaminem Titi inter deos relati esse factum, Massonius p. 33 et sequ. disertissime et copiosissime ostendit. Deinde quum hanc primam Plinius capessivisset dignitatem, decemvir stlitibus judicandis anno LXXXII fortasse factus est annos viginti natus; ea enim aetate juvenes solebant vel illum magistratum vel aliam partem vigintiviratus obire cf. Masson p. 35 et Haase in commentariis de scriptis Taciti pag. IX. Mox vero more juvenum Romanorum operam in re militari praestitit, dicit enim, „se juvenem fuisse in castris“ ep. VIII, 14, 7; tribunus quidem fuit in Syria III, 11, 5. X, 87, 1. Sed quum Domitiano regnante „disciplina lapsa exstinctaque esset (paneg. 18), suspecta virtus, inertia in pretio, ducibus nulla auctoritas, nulla militibus verecundia, nusquam imperium, nusquam obsequium, omnia soluta turbata atque in contrarium

versa, postremo obliviscenda magis quam tenenda" (VIII, 14, 7), non est mirandum, Plinium non tam patientem fuisse, ut voluisset discere, quod in usu non esset habiturus (loc. laud. 3.) sed inter strepitum armorum Euphratem et Artemidorum philosophos, de quibus jam supra mentionem feci, sequi maluisse (III, 11, 5.). Ubi vero Romam rediit, quamquam ei uberior spes majores honores perfacile assequendi affulsit, nec initio favor et gratia Domitiani defuit, qui ad honores eum promovit, ad tribunatum plebis (I, 23,) ad quaesturam Caesaris VII, 16, 2,) ad praeturam (ibid. et III, 11, 2,) quibus magistratibus tam religiose est perfunctus, ut „senatus ei in tribunatu quietis, in praetura modestiae et in utroque munere e studiis circa tuendos socios constantiae antiquissimum testimonium perhiberet" (paneg 95.), tamen haec indicia eximiae benevolentiae imperatoris Plinium inducere non potuerunt, ut rationum et institutionum pristinae suae virtutis oblitus consiliis principis nequissimi perficiendis se indulgentem ministrum praeberet. Quam ob rem, quum res ita essent, ut „sincera fides integerrimaque studia periculo darentur," ut „jam pridem non minora praemia immo majora nequitia et improbitas, quam pudor et virtus haberent", II, 20, 12, ut „suspiria ipsa subscriberentur ut saevus ille Domitiani vultus denotandis tot hominibus palloribus sufficeret", (Tacit. Agric 32) quumque Plinius ipse videret illa, quae viri innocentissimi et honestissimi, Helvidius (ep. IX, 13, Tacit, Agric. 45, Sueton Domit. 10) Mauricus, (Tacit. Agric. 45) Rusticus, (Tacit. l. eod.) Senecio (I, 5, 3 et Tacit eod. l.) passi essent; ab omni parte reipublicae administrandae se subtraxit seque ad studium litterarum ingenuarum contulit, „quae eum maxime, sicut jam a pueritia, delectabant. (paneg. 95.)

Et propter hoc otium Domitiano ipsi in suspicionem venit Plinius, cujus iracundia sine dubio mox oppressus esset, nam „in scrinio imperatoris datus a Metio Caro de illo libellus inventus erat" cf. VII, 27, 14, nisi mors Domitiani peropportuna hoc instans periculum depulisset.

Nec jam ignavia vel timiditate permotum Plinium fuisse, ut otium muneribus publicis praeferret, ex eo satis intelligi potest, quod neque sub Domitiano angustiis amicorum defuit, quorum in causis multum, constanter, prospere versatus est et, quum illo occiso sub successorum imperio salva omnibus vita et dignitas vitae esset „nec jam consideratus et sapiens videretur, qui aetatem in tenebris ageret" (paneg. 44), in

Publicium Certum, delatorem illum nequissimum iram jam diu coërcitam effudit (IX, 13.). Plinio enim persuasum fuit, si Domitiano facinora foedissima et jubenti et perpetranti obstare et, ut proverbio utar, brachia contra torrentem dirigere voluisset, nec suo ipsius nec reipublicae commodo se consulturum, sed ipsum maximum periculum esse subiturum, ne vitiis, quae illo tempore invaluissent, ipse corrumperetur. Quae quidem studia Plinii et cives et imperatores succedentes agnovisse, testes sunt epistolae ipsius. Neque enim Nerva solum missis ad eum litteris est gratulatus, quod „in tuendis sociis exemplum antiquis simile edidisset" VII, 33, 9; verum etiam Trajanus ei concessit jus trium liberorum X, 2, 1. auguratum IV, 8, 1. praefecturam aerarii (I, 10, 9), sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas, scribo plurimas sed inlitteratissimas litteras, (cf. III, 4, 2. X, 8, 3, X, 3, 1), consulatum in menses Septembrem et Octobrem anni C (paneg. 91.), curam alvei Tiberis et riparum et cloacarum urbis, (cf. inscriptiones, quas Massonius in praef. pag. III et sequ. et pag. 118 commemorat.) denique munus legati consulari potestate et Bithyniam Pontumque provincias administrandas ei detulit. (G. C. Plinii et Trajani epistolarum liber vulgo Plinii liber X dictus.); quin etiam dignus putatus est, qui ab imperatore in consilium privatum adhiberetur (VI, 31, 1, Doering annotat. ad hunc locum et Masson p. 129.).

Quo quidem anno Plinius e vita decesserit non satis certe constat, alii anno CVII, alii anno CXVII mortuum eum esse statuunt. Hoc vero ex epistolis liquere mihi videtur, eum ante annum CX mortem non obiisse. Exhortatur enim Caninium amicum ut bellum Dacicum scriberet VIII, 4 quod bellum anno CVI compositum erat, alio loco, ep. VI, 10, vituperat, quod decimo anno post mortem Verginii Rufi monumentum ejus adhuc imperfectum erat; Verginius Rufus mortuus erat anno LXXXXVII, Cornelio Tacito consule cf. II, 1. Et ex aliis epistolis cognoscimus, Plinium diuturno otio in praediis usum esse, cf. VII, 7, VII, 27, VIII, 20, IX, 10, IX, 15, IX, 32; quod ei antequam e Bithynia rediisset, non licuisse, i. e, ante annum CV, ex epistolarum libro X satis constat.

In inscriptionum latinarum selectarum amplissima collectione, quam edidit Guil. Henzen, Volum. III, pag. 124, Nr. 117 2. exstat inscriptio a Theod. Mommsen restituta: G. C. Plinius Secundus.... „extra sortem ab imp. CAESAR.

NERVA. TRAIano. AVG. GERMANICO dacico missus." et paulo inferius: „Thermas ex HS... adjectis... in ornatum HS. CCC et statuis (3) amplius.... in tutelam HS. CC. T.F.I" i. e. testamento fieri jussit. Quum vero Trajanus, hac in inscriptione cognomine „Optimi" careat conjiciendum est, hunc titulum ante annum CXIII esse exaratum; nam Trajanus hoc cognomen jam altero imperii anno a senatu populoque Romano additum (cf. paneg. 2) diu renuit. Aliud grave argumentum hujus inscriptionis est in nota: T. F. I. i. e. testamento fieri jussit; ex qua cognoscere possumus Plinium jam ante annum CXIII esse mortuum.

B. De vita privata.

Postquam vero res ad vitam publicam Plinii pertinentes accurate commemoravimus, transeamus ad vitam ejus privatam otiique rationem et instituta perspiciamus, „voluptates enim sunt, voluptates, quibus optime de cujusque gravitate, sanctitate temperantia creditur. Nam quis adeo dissolutus, cujus non occupationibus aliqua species severitatis insideat? Otio prodimur." (paneg. 82).

Duas uxores duxit Plinius; alteram Domitiano jam regnante duxisse videtur, nam X, 2 „tristissimo saeculo duo matrimonia se contraxisse" fatetur; qua de conjuge nihil aliud nobis tradidit in epistolis, nisi quod se maxime tristem fuisse ea amissa dicit ep. IX, 13, 4. Plura vero testimonia de altera uxore exstant in scriptis. Quam nomine Calpurniam praematura aetate florentem duxerat, quod Romanorum moribus conveniebat, (cf. ep. V, 16, 2; Rossbach die röm. Ehe pag. 417 seq. Plutarchi Lycurg. et Num. comp. 4, 2: „τῶν δὲ Ῥωμαίων δωδεκαετεῖς καὶ νεωτέρας ἐκδιδόντων; complura hujus rei exempla exstant apud Friedlaender Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms etc. Leipzig 1862. I pag. 324 sequ.) quae quidem res ei summo periculo fuit, nam puellariter se praegnantem nesciens abortum fecit (VIII, 10.). Et fuit illa magna sanctitate morum et integra vita digna, cui Plinius singulari amore addictus esset, nam ex epist. IV, 19 facile intelligimus, in ea fuisse omnia, quae beatum reddere matrimonium possent, etiamsi parum felix esset, liberis enim carebat.

Ad suavitates jucunditatesque vitae augendas nobiles Romanorum consuetudine utebantur contubernalium. Plinius

autem complures hujusmodi contubernales sibi elegerat, ut Romatium Firmum I, 19, 1, Voconium Romanum, II, 13, 5, Suetonium Tranquillum, historiarum scriptorem I, 24, 1. X, 94. Gajum Calvisium I, 12, 12. IV, 4, 1. quibus non solum amicis et adjutoribus in scriptis edendis utebatur, sed quos etiam sua fortuna, studio, auctoritate adjuvabat et ornabat.

Nec horum tantum contubernalium consuetudine delectabatur, sed etiam permulti viri ingeniis studiis integritate vitae, dignitate honorum auctoritate praestantissimi intima amicitia familiaritateque erant conjuncti cum Plinio. Quorum ex numero tantum commemorabo Junium Mauricum, „quo viro nihil firmius, nihil verius“ IV, 22, 3. I, 5, 10, I, 14. II, 18. VI, 14. Corellium, IV, 17, 4, I, 12, 12. IX, 13, 6, Arulenum Rusticum, fratrem J. Maurici I, 14, 1. Arrianum Maturum, III, 2, 2. Aristonem VIII. 14, 1. V, 3, 1. I, 22, 1. Helvidium IX, 13, 3. Ac si verum est, e conjunctione consuetudinis ingenium moresque cujusvis dijudicari et percenseri posse, quis dubitet, quin Plinius fama gloriaque ingenii ac sanctitatis vitae floruerit? Quis enim credat, optimos quosque illius saeculi viros, qui vitia tum tam late perfusa vituperarent et aversarentur, Plinium dignum habuisse, cujus amicitiam, familiaritatem auctoritatem auxilium et peterent et colerent et plurimi penderent, - nisi ipsum sui simillimum putassent?

Jam videamus, qualis fuerit ratio vitae privatae Plinii. Et ut ipse „se certo siderum cursu, ita vita hominis disposita delectari confitetur ep. III., 1, 2, ita nos eandem hanc vitae rationem, quam in aliis summis laudibus effert (eod. loc), quantumcunque per negotia publica et officia amicis praestanda ei licuerit, servasse e scriptis facile intelligimus. Jam ab adolescentia quum exemplo et adhortationibus Plinii Majoris commotus tum summo et ingenuo studio litterarum incitatus (cf. I, 9, I, 10) quantum otii ipsi praestabatur, in studiis collocavit: quin etiam inter venandum stilo et pugillaribus utebatur, ut „si quid meditaretur, enotaret.“ Quo ardore inflammatus non acquievit in iis doctrinis artibusque, quibus illo saeculo Romani impertiri solebant, sed cognitionem aliarum rerum sibi comparare cupivit, quae ad sua negotia non pertinerent; nam Licinium Suram amicum rogat, ut ipsi causas mirae fontis naturae explicet, IV, 30. eundemque diligentem speculatorem naturae fuisse, etiam cognovimus ex ep. VIII, 8 et VIII, 20.

Quotiens igitur et quantopere queritur „se frigidis negotiis, quae simul et avocent animum et comminuant, distringi" IX, 2, 1. multis amicorum negotiis studiis amoveri, VIII, 9, 1. urbanis et rusticis negotiis operam absorberi VII, 30, 2, ita ut studiis suis non tantum, quantum vellet, obsequi posset. In rusticationibus autem petebat aestate Tuscos suos V, 6, 1, hieme vero plerumque Laurentianum praedium IX, 40, 1. quorum sua utrique amoenitas et jucunditas ex ipsa diversitate erat, et ibi toto animo se dedit litteris. Exstant copiosiores descriptiones horum praediorum in epist. V, 6, II, 17. Aestate vero quomodo diem disposuerit ep. IX, 36, quomodo hieme ep. IX, 40 latius perscribit, ad quas epistolas hujus rei studiosos delegamus. Atque ibi, ut verbis Plinii utar, „otium altius et pinguius eoque securius, nulla necessitas togae nemo accessitor ex proximo, placida omnia et quiescentia, quod ipsum salubritati regionis ut purius coelum, ut aër liquidior accedebat. Ibi animo ibi corpore maxime valebat; nam „studiis animum, venatu corpus exercebat". V, 6, 45. Et alio loco: „nihil audio, (in Laurentiano meo) quod audisse, nihil dico, quod dixisse poeniteat; nemo apud me quemquam sinistris sermonibus carpit, neminem ipse reprehendo, nisi tamen me, quum parum commode scribo; nulla spe, nullo timore sollicitor, nullis rumoribus inquietor, mecum tantum et cum libellis loquor. O rectam sinceramque vitam, o dulce otium honestumque ac paene omni negotio pulchrius! I, 9, 4.

In urbe vero, perexigua parte temporis litteris relicta, ut supra dixi, res amicorum Plinio maximae curae erant; et quum ipse omnes, qui in studiis aliquid praestabant, venerari etiam mirarique soleret, plurimum temporis recitationibus eorum attribuit, quas crebras fuisse intelligere possumus ex ep. I, 13, 1. „toto mense Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis" : causas actitavit, denique tempus distentum impeditumque et officiis maximis, et amicitia principum egit.

Caveas vero, ne egregiam Plinii industriam atque assiduitatem in litteris, actionibus, muneribus publicis contemplatus, eum vel magna corporis firmitate, vel maxima valetudinis prosperitate esse usum putes, immo vero parum fuit firma valetudine, forma corporis gracili et imbecilliore, cui quidem Trajanus Caesar tantam curam praestitit, causas agenti Afrorum contra Marium Priscum proconsularem, ut libertum post eum stantem admoneret: „voci laterique Plinii consuleret." dixerat vero horis paene quinque II, 12. 15; idemque

Trajanus corpusculum Plinii nominat., X, 18, 1. cf. VII, 21. ubi infirmitate oculorum laborans se ipsum lippum appellat. Quo pluris aestimanda est constantia et assiduitas Plinii in studiis, quod statu valetudinis parum felici impeditus tantam laudem tum aequalium, quum posterorum est assecutus.

Restat vero, ut de fortunis Plinii nonnulla dicam. Amplas ei fuisse facultates, facile conjici potest ex indiciis, quae ¡ni epistolis passim sparsa sunt. Unicus fuisse heres avunc ul caelibis videtur, unicus fuit parentium; possidebat enim ad lacum Larium amplos et fructuosos agros, quos „materna paternaque praedia" vocat ep. VII, 11, 5. IV, 6. II, 15, 2. deinde villam magnificam in regione Ostiensi, Laurentinum II, 17, tum in Appennino saluberrimo montium Tuscos, cujus praedii accurata descriptio exstat in ep. V, 6. cujusque reditus annuus quadringenta milia sestertium excedebat X, 8, 5. Ex ep. IV, 6 cognoscimus. praeter haec praedia, antequam consul factus esset, nullos alios fundos ei fuisse, postea vero complures habebat, ut Tusculanum, Tiburtinum, Praenestinum V, 6, 45. alios circa Larium; dicit enim, se Minucio Justo ex praediis suis, quod vellet et quanti vellet obtulisse, exceptis maternis paternisque VII, 11, 5, IX, 7, 2. quos quidem fundos vel coëmerat, vel ex hereditatibus acceperat, VII, 11, 1. Et alia praedia in eadem regione sita et suis agris vicina maximo pretio emisse videtur III, 19. Venerunt praeterea Plinio hereditates e diversis partibus a multis amicis, sicut ab Aciliano II, 16, 1, a Sabina IV, 10, 1, ab Asudio Curiano V, 1, 1. a Saturnino V, 7, 1. a Largo X, 75. a Valerio Paulino X, 104. Qua fortunae gratia hisque amicorum beneficiis facultas ei oblata est, ut angustias amicorum tot tantisque donis adjuvaret; de qua re plura infra dicam de liberalitate Plinii acturus.

Hactenus de vita Plinii; de qua nescio, an prolixius videar disputavisse; attamen quum de moribus cujuspiam recte judicari non posse arbitrarer, nisi accurata, si fieri potest, ratione vitae habita, mihi eam diligentius perscrutandam esse credidi.

De ingenio et moribus Plinii.

Imaginem ingenii et morum Plinii adumbraturo mihi e scriptis ejus occurrit vir animo miti, clementi, placido praeditus, qui nulla re magis oblectabatur, quam quum aliis con-

sulto sapienterque collatis beneficiis felicitatem afferre, alios consilio, auctoritate, commendatione, studiis, suo ipsius commodo interdum neglecto, adjuvare posset, qui virtutem honestatemque cujuscunque laudabat, praedicabat, provehebat, nulla invidia aut malignitate suffusus, ad officia praestanda promptissimus, sibi implacabilis, peccantibus exorabilis, malitiae et nequitiae fortiter obluctans, optimus maritus, benevolentissimus paterfamilias, fidelissimus et gratissimus amicus, maximae temperantiae et frugalitati indulgens, orator elegans et copiosus, liberae civitatis amicus principatui reconciliatus, qui denique operibus ad summam elegantiam conformatis eximiam laudem omnium temporum sibi peperit.

De vestigiis vero et argumentis jam quaeramus, e quibus ingenium Plinii maxime eluceat, atque primum quidem de liberalitate agamus, quae quanta et quam admirabilis fuerit, mox intelligemus. Antea vero statuendum mihi esse censeo, quibus causis permotus Plinius tam liberalis fuerit. Et fuerunt illae causae vel amor amicorum et cura facultatum ipsorum, vel misericordia e calamitatibus aliorum percepta, vel grata beneficiorum acceptorum memoria. Ipse autem delineat rationes agendi pluribus locis; legimus enim ep. IX, 30: „Volo enim eum, qui sit vere liberalis, tribuere patriae, propinquis, affinibus, amicis, sed amicis dico pauperibus, non ut isti qui potissimum donant iis, qui donare maxime possunt. Hos ego viscatis hamatisque muneribus non sua promere puto, sed aliena corripere. Sunt ingenio simili, qui quod huic donant, auferunt illi famamque liberalitatis avaritia petunt. Primum est autem, suo esse contentum, deinde quos praecipue scias indigere sustentantem foventemque orbe quodam societatis ambire. Quae cuncta si facit iste, usquequaque laudandus est, si unum aliquid, minus quidem laudandus tamen.“ Conferatur cum hoc loco, quod de prava liberalitate Domitiani dicit in paneg. 43 extr. Alio vero loco praecipit: „oportet privatis utilitatibus publicas, mortalibus aeternas anteferre, multoque diligentius muneri suo consulere quam facultatibus“ VII, 18, 5. „vinci in amore turpissimum“ putabat IV, 1, 5; illud „egregium duxit, Maximum tam facilem, tam liberalem in praestandis beneficiis esse“ VI, 34, 2. Nec impetu quodam et inconsulto ad illam liberalitatem trahebatur sed consilio et pensitato amore, quo munificentia et laudabilior videbatur, et poenitentia, comes subitae largitionis evitabatur de qua re plura dicit ep. I, 8. et III, 4, 6: „est enim ita com-

paratum, ut antiquiora benificia subvertas, nisi illa posterioricus cumules; nam quamlibet saepe obligati, si quid unum neges, hoc solum meminerunt, quod negatum est."

Amicis vero plurima condonavit: Romatio Firmo, municipi et contubernali ad implendas equestres facultates trecenta milia nummum donavit ea sola conditione, ut dignitate illa, ut a se data modestissime uteretur I, 19, 2. Metilium Crispum, municipem, cui ordinem equestrem jam antea comparaverat, proficiscentem quadraginta milibus nummum ad instruendum se ornandumque adjuvit, VI, 25, 3., dedit Valerio Martiali viaticum III, 21, 2., donavit nutrici agellum pretio centum milia nummum, filiam Quintiliani magistri, nupturam dote quinquaginta milium ornavit veritus, ne majus donum verecundia recusaretur. VI, 32, 2. Calviniae, filiae amici, nubenti in dotem centum milia dedit praeter aliam summam, quam jam antea de suo solverat II, 4, 2; remisit negotiatoribus, qui vindemias emerant, ne in fructuum calamitate majus damnum facerent, magna facilitate magnam partem pecuniarum debitarum VIII, 2.

Praeclarissimum vero exemplum liberalitatis praestitit Plinius Comensibus, qui quum schola publica carerent, liberos erudiendos Mediolanum mittere coacti erant. Qua re commotus et liberos nullo alio loco jucundius morari, quam in patria aut pudicius contineri quam sub oculis parentium aut minore sumptu quam domi ratus, patriae „quasi filiae vel parenti" (IV, 13, 5.) tertiam partem pecuniae ad scholam instituendam necessariae praestitit, veritus, ne si totam dedisset, „hoc munus quandoque ambitu corrumperetur"; cui periculo eo mederi studebat, ut parentibus quasi fundatoribus scholae jus praeceptorum conducendorum relinqueret: „nam qui fortasse de alieno negligentes certe de suo diligentes erunt dabuntque operam, ne a me pecuniam non nisi dignus accipiat, si accepturus et ab ipsis erit." IV, 13, 8. Quanta vero summa hujus pecuniae fuerit, apparet ex ep. V, 7, 3, ubi dicit, se patriae de suo sestertium (se)decies jam contulisse. Quin etiam, quum a Saturnino heres factus, qui Comensibus pro quadrante praeceptionem quadringentorum milium dederat, quod ex Romanorum legibus irritum erat, hanc pecuniam a Comensibus reposcere posset, tamen voluntatem defuncti pluris aestimans quam jus, illam hereditatem iis condonavit. (ibid.) Et praeter haec beneficia aliud quoque donum municipibus praestitit. Munificentiam enim divi Trajani imperatoris imita-

tus,qui tum primus alimenta ingenuorum praebuerat (paneg. 26—28.) constituit, ut pro quingentis milibus nummum quae primo dare voluerat, vectigal annuum tricenorum milium, quod mancipatione quadam simulata agris suis imposuerat, ut alimenta ingenuorum darentur. Quod quidem fecit eo consilio, ut sors hujus beneficii indigentium in posterum in tuto nec reditus incertus esset. cf. VII, 18. Quam praeclara haec liberalitas, quam conspicua cura salutis civium, quam diversa ab illa angusta parsimonia et nimia propriae utilitatis cupiditate hujus saeculi! Quam ob rem nonne Plinio summo jure eximias laudes attribuendas putes, quas ipse Trajano imperatori defert? (paneg. 26—28.) At redeamus ad aliud exemplum munificentiae Plinii. Quum haruspicum admonitu aedes Cereris in praedio quodam suo, quae Idibus Septembribus frequentissima erat, reficienda esset quumque ibi nullum in proximo suffugium esset aut imbris aut solis, eam aeque religiose quam pulcherrimam exstruxit ad usum deae, ac munifice porticus addidit in usum commoditatemque hominum deam venerantium IX, 39. Tiferni autem Tiberini, quod oppidum eum jam puerum patronum cooptarat, quodque multis eum honoribus auxerat, templum sua pecunia exstruxit, ne in amore a civibus illis vinceretur, IV, 1.

Quamquam vero, ut supra demonstrare tentavi, facultates magnae erant, quibus Plinius utebatur, etsi nullo modo comparari poterant cum ingentibus divitiis aliorum Romanorum, ut Pallantis, Narcissi, Callisti, Epaphroditi, Doriphori (cf. Friedlaender I pag. 64 et seq.) Vibii Crispi (Martial IV, 54, 7. Eprii Marcelli (Tacit. dial. 8) Reguli (Plin. ep. II. 20, 13) modicas enim ipse vocat facultates suas (II, 4, 3);) tamen mirum videretur, quod tot tantaque dona sine detrimento facultatum facere potuisset, nisi ipse fontem tantae liberalitatis indicasset dicens: „id quod ex reditu cessaret, frugalitate suppleri, ex quo velut fonte liberalitas decurreret. II, 4, 3. Romanos enim illis temporibus divites, exemplo principum incitatos summa luxuria et praeter omnem modum in oblectamentis epularum dementer se effudisse inter omnes constat. Eo igitur praeclarior videtur continentia et frugalitas victus Plinii, cujus „cenae ut apparatus et impendii sic temporis modus“ constabat III, 12, 4. qui Septicio Claro amico, quem ad cenam invitaverat, pollicetur, se eum nec multis nec latis ferculis esse excepturum (cf. I, 15, ubi haec fercula nominatim signat.). Nec eos imitatus est, qui aedibus urbium in-

star delectabantur quique eas sumptuosissima et pretiosissima suppellectile exornabant; quamvis enim ei multae et magnificae domus essent, sicut e descriptionibus ab ipso nobis traditis apparet, tamen si cum aliorum comparantur, (Friedlaender I, pag. 10 · sequ. parvae et attenuatae videntur; dicit enim ipse, se nunquam ullum Corinthium domi habuisse, III, 6, 4. At tot tantaque officia amicis aliisque auxilii sui indigentibus non praestitisset Plinius, nisi summa comitate praeditus fuisset. Et haec quidem virtus eo magis in beneficii loco est ponenda, quod ille studio litterarum tam deditus sine dubio nonnumquam a se ipso haud facile potuit impetrare, ut officia vel molesta interdum, operosa, difficilia vel intempestiva praeberet. Attamen ex majoribus difficultatibus praeclarior victoria et gloria nascitur. Nulla autem studia tanti esse, ut amicitiae officium desereretur „quod religiosissime custodiendum studia ingenua ipsa praeciperent" VIII, 9, 2 perspectum habebat, et tali animo imbutus omnes difficultates perfacile superabat.

Quanta enim cura affectus erat de petendo jure tribunatus Sexti Erucii II, 9, ut pudorem suum suamque existimationem ac dignitatem in detrimentum adducta esse putaret, si illud jus in senatu non obtineret Sextus. Itaque „prensabat amicos, supplicabat, ambiebat domos stationesque circumibat quantumcunque vel auctoritate, vel gratia valeret, precibus experiebatur". Quantopere deprecatus est Appollinarem amicum, ut aliquam hujus oneris partem susciperet, „reddam, inquit, „invicem, si reposces, reddam etsi non reposces. Diligeris, coleris, frequentaris, ostende modo, velle te, nec deerunt, qui quod tu velis, cupiant," studebat enim amicos eo adducere, ut suos familiares impellerent, ut Sexto faverent.

Remansit idem in urbe, ut Titum Aristonem aegrotum adjuvaret omneque studium quamvis ejus cupidus esset, illi curae posthabuit, „nunc enim, inquit, nihil legere, nihil scribere aut adsidenti vacat aut anxio libet." I, 22, 11. Fundanum amicum exorabat, ut suffragio ipsius suum jungeret, quo facilius Julius Naso honores assequeretur, quos tum petebat VI, 6r. Quanto studio suscipiebat causam Corelliae absentis cont a C. Caecilium consulem designatum nec subire offensas recusabat, grato animo beneficia a patre Corelliae accepta recordatus IV, 17. A Maurico amicissimo rogatus, ut praeceptorem liberis fratris conduceret, „quo jucundius nihil sibi injungi potuisse" dicebat, non dubitabat, „non modo offensas

verum etiam simultates pro filiis fratris illius Maurici tam aequo animo subire, quam parentes pro suis" II, 18.

Quoties vero causas amicorum egerit, e multis epistolis cognosci potest VI, 12, I, 18. VII, 15. aliisque; gaudebat enim suscipere causas amicorum aut destitutas aut ad exemplum pertinentes, destitutas „quod in illis maxime et constantia agentis et humanitas cerneretur, ad exemplum pertinentes, quia plurimum referret, bonum an malum (exemplum) induceretur"; nec defuit claris et illustribus quibus gloriam famamque augeri posse putabat cf. VI, 29, 1 et 6.

Aliud vero idque maxime conspicuum exemplum comitatis gratique animi Plinius nobis affert ep. III, 11. Artemidorum enim philosophum et magistrum summo ipsius periculo facultatibus suis adjuvit, quum praetor, qua re notabilius et periculosius hoc erat, ad illum virum Domitiano principi maxime suspectum et invisum adiret ejusque fortunae tenuitatem pecunia, quam ipse mutuatus erat, sublevaret „mussantibus magnis quibusdam et locuptetibus amicis." Et hoc fecit, quum jam septem ipsius amici aut occisi aut relegati essent quumque circa eum „jactis fulminibus quasi ambustus ipsi quoque impendere idem exitium certis quibusdam natis auguraretur" III, 11, 3. Nec tamen hoc gloriae sibi imputavit sed flagitium tantum se effugisse credidit.

Praestititne tantum officia? Immo vero obtulit ea; magna enim cum facilitate et comitate Corelliae Hispullae viduae, patre mortuo, ultro pollicitus est, se quantum in se foret, enisurum esse, ut filius ejus honestis artibus imbueretur ita „ut majoribus suis clarissimis similis fieret semperque recordaretur, quae nomina et quanta sustineret, quibusque imaginibus oneraretur." III, 3; alia hujus rei exempla invenimus VI, 9 et IV, 17.

Quid igitur mirum, quod Plinius illis negotiis plerumque frigidis quotidianis ut maximis ita molestissimis, quibus animus et a studiis avocaretur et comminueretur, districtus (I, 10) et defatigatus exclamabat „se jam pridem nescire, quid esset otium, quid quies, quid denique illud iners quidem jucundum tamen, nihil agere, nihil esse" VIII, 9, 1; quod querebatur: „nunquamne hos artissimos laqueos, si solvere negatur, abrumpam! Nunquam puto. Nam veteribus negotiis nova adcrescunt, nec tamen priora peraguntur, tot nexibus, tot quasi catenis magis in dies occupationum agmen extenditur". II, 8, 2, quod tanto desiderio conflagrabat strepitum istum

inanemque discursum negotiorum publicorum et molestos labores relinquendi seque ad verum secretumque *μουσεῖον*, ad rusticationem recipiendi studiisque vel otio tradendi? Attamen ut in hac comitate et affabilitate officiorum praestandorum permaneret, exhortabantur Plinium vel exempla virorum clarissimorum, ut Spurinnae, „quem laborum, quibus contineretur et solatium et exemplum sibi esse ipse testatur in ep. III. 1, 11; vel praecepta philosophiae, quae praecipiunt „nulla studia tanti esse, ut amicitiae officium deseratur". (VIII, 9, 2.) et „hanc philosophiae et pulcherrimam quidem partem esse, agere negotium publicum, cognoscere, judicare promere et exercere justitiam quaeque ipsi (philosophi) doceant in usu habere" I, 10, 10, quodque et reipublicae suae negotia curare et disceptare inter amicos laude dignissimum putabat. VII, 15, 2.

Quam facile ad misericordiam permovebatur! Res enim adversae amicorum, mors, aegritudo etiam servorum, petitiones honorum omnes denique calamitates amicorum curam sollicitudinemque summopere injiciebant Plinio. Talis vero naturae bonitatis animique mollioris documenta complura invenimus in epistolis Plinii. Quanto enim dolore et moerore affectus est morte filiae Fundani amici, quibus laudibus effert virtutes ejus, quo magis dolor excitetur; quam praeclare hunc dolorem exprimit his verbis: „Non possum exprimere, quantum animo vulnus acceperim, quum audivi, Fundanum ipsum, ut multa luctuosa dolor invenit praecipientem, quod in vestes, margarita, gemmas fuerat erogaturus, (nuptura enim fuerat illa), hoc in tus et unguenta et odores impenderetur", V, 16, 7. Quam amice et fideliter excusatum vult patrem, qui omnibus aliis rebus posthabitis, luctui nimis indulgebat. „Ignosces, laudabis etiam, si cogitaveris, quid amiserit. Amisit enim filiam quae non minus mores ejus quam os vultumque referebat totumque patrem mira similitudine exscripserat". Eademque animi mollitia commotus exhortatur Marcellinum amicum, ut si quas ad Fundanum de suo dolore tam justo litteras missurus esset, „meminerit adhibere solatium non quasi castigatorium et nimis forte, sed molle et humanum". Quam praeclare cognitam habebat Plinius naturam hominis, vel usu ipso, vel sua ipsius humanitate et molli animo edoctus, quum in hac epistola profert haec: „ut crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur atque ultro requirit, sic recens animi dolor consolationes rejicit ac refugit,

mox desiderat et clementer admotis adquiescit" V, 16, 71. quam ob rem tempus optimum doloris remedium nominat.

Similem perturbationem sollicitudinemque animi Plinius percepit e morbo Titi Aristonis I, 22 et Fanniae uxoris Helvidii, cujus castitatem, sanctitatem gravitatem, constantiam praedicat ep. VII, 19, e morte Helvidiarum sororum „quae a partu decesserant", quanto angore affectus est de sorte infantium, „quae parentibus statum et dum nascebantur, orbatae erant", de maritis, de patre illarum IV, 21. Parem dolorem excitavit mors Julii Aviti, qui procul a suis mortem obierat V, 21, 3; et valetudo Passenni Paulli IX, 22; quam praeclarum exemplum nobis praebet et doloris et grati animi simulque admirationis ep. I, 12, in qua de morte Corellii Rufi „per inediam arcessitam" refert. Quid? nonne putandum est, talem praeclaram misericordiam talemque animi mollitiam ortam non esse nisi in viro ingenii humanissimi morumque honestissimorum, quae quidem virtutes talem naturam bonam integramque et alere et excolere et efficacem reddere possint?

Nulla autem malevolentia, obtrectatione invidia animus Plinii suffusus videtur fuisse; nullum enim vestigium horum vitiorum, omnibus etiam scriptis pervestigatis, invenies, multa autem, ex quibus satis constet, ipsum maximam laetitiam semper percepisse e felicitate et rebus aliorum secundis, quod ipse conformat his verbis: „Neque enim ego, ut multi, invideo aliis bono, quo ipse careo, sed contra sensum quendam voluptatemque percipio, si ea, quae mihi denegantur, amicis video superesse." I, 10, 12. Quanta animi magnitudo, qua nostram ipsorum voluptatem augeamus, fontesque aegrimoniae et sollicitudinis ex invidia ortae in fontes gaudii laetitiaeque convertamus! Atque etiam ne voce quidem „invideo" uti voluit II, 8, putabat enim pravum malignumque esse, non admirari homines admiratione dignos, quia vel aequales essent vel iis idem finis, qui sibi ipsi, esset propositus cf. I, 16, 9.

Sine ulla invidia summis laudibus effert viros, qui eodem mirabili litterarum studio, quo ipse, incensi, pares honores, paria laudis insignia paria ornamenta captabant, quorum studia praedicabat, admiratione exornabat, quibusque justam et debitam laudem attribuebat. Videamus quae ep. I, 10 de Euphrate philosopho, I, 16 de Pompejo Saturnino causidico, II, 3 de Isaeo oratore, quem audire tanti fecit, ut „ἀφιλόκαλον, inlitteratum iners ac paene etiam turpe esse putaret," si occasione data, juvenes consuetudine ejus non uterentur;

VIII, 12 de Titino Capitone, cujus „ingenio pulcherrimo, maximo et in summa severitate dulcissimo sollicitabatur", VIII, 23 de Junio Avito, cui ipse quasi magister fuerat, senserit et intelligemus, Plinium omnibus viris laude dignis debitam laudem admirationemque praestitisse. Praeterea quantopere exhortatus est juvenes ingeniosos, ut studiis se darent, ut recitarent, ut ederent, quaecunque effecissent et quanto gaudio est affectus si studia eorum prospere processerant cf. II, 10. IV, 3, V, 11. VIII, 4. IX, 1. I, 3, I, 9.

Recitationibus enim, quas illo tempore apud Romanos usu esse receptas et e Plinio et ex aliis facile videmus, amicorum semper adfuit cf. I, 13, 5: „equidem prope nemini defui". Putabat enim utilissimum et ad scripta emendanda maxime idoneum, coram certis electisque amicis, quorum judicium acre et prudens jam expertum timebat, orationes vel alia scripta recitare eo consilio, ut admoneretur, si quid peccavisset, si quid ipsum effugisset, nam „timor est emendator asperrimus". VII, 17. Et recte egit, quia etsi in quibusque singulis audientium judicii parum, tamen in omnibus plurimum judicabat et numero ipso magnum quoddam consilium attribuebat. Quam ob rem vehementer increpuit ep. I, 13, VI, 17 multorum animos a recitationibus aversos et desidiam negligentiamque eorum, „qui vel lente cunctanterque venirent, vel surdis mutisque similes audirent", eosque tanto magis laudandos probandosque nominat, quos haec auditorum vel desidia vel superbia a studio litterarum non deterruisset I, 13. Et ipse quidem omnes, qui aliquid in studiis profecerant venerari atque etiam mirari solebat, quod rem arduam fastidiosamque esse dicebat, eos, a quibus contemnamur, invicem contemnere cf. VI, 17, 5.

Hoc quidem loco consentaneum videtur quaerere, num Plinius jure vituperandus sit, quod amicos nimis laudavit eo consilio, ut ipse eo majore laude ab illis cumularetur. Quamquam vero infitiari non possumus, in nonnullis ejus epistolis inesse abundantiam quandam laudis, quam amicorum studiis attribuit, ut IV, 3 et 18, tamen respiciendum est, quod ipse hac de re exponit VII, 28: „Agnosco crimen, amplector etiam. Quid enim honestius culpa benignitatis? Qui sunt tamen isti, qui amicos melius norint? Sed ut norint, quid invident mihi felicissimo errore? Ut enim non sint tales, quales a me praedicantur, ego tamen beatus, quod mihi videntur. Igitur ad alios hanc sinistram diligentiam conferant, nec sunt

parum multi, qui carpere amicos judicium vocant, mihi nunquam persuadebunt, ut meos amari a me nimium putem".

Quam ob rem hanc laudis abundantiam Plinio non tam crimini dandam esse, quam maxime pravo judicio ac sensui illorum temporum censeo. Simplicitate enim veterum scriptorum sublata, res apud multos scriptores saepius in magnificentiam auctas invenimus; eandemque veritatis superlationem et trajectionem in panegyrico Plinii reperimus, exempli gratia c. 59—80 de consulatu tertio suscepto, c. 57 de consulatu dilato, c. 30—32, ubi Aegyptos propter sterilitatem insolitam cavillatur; et maxime c. 40, ubi de vectigali vicesimarum sublato agitur. Reperitur enim hoc loco illud: „At in praeteritum subvenire ne dii quidem possunt; tu (Trajane) tamen subvenisti cavistique, ut desineret quisque debere quod non esset postea debiturus, id est, effecisti, ne malos principes habuissemus"; quo quid absurdius dici aut existimari potest?

Summa autem quum aequitate et justitia, tum ciementia in alios fuit Plinius, qua nisi usus esset, certe illam laudis comitatis et benevolentiae nactus non esset, propterea quod hae virtutes sine aequitate et justitia aut omnino non possunt esse, aut in malignitatem injuriamque facile convertuntur.

Qua regula rationem agendi emensus sit, intelligimus ex ep. VIII., 22: „Nostine hos qui omnium libidinum servi sic aliorum vitiis irascuntur, quasi invideant et gravissime puniunt, quos maxime imitantur? quum eos etiam, qui non indigent clementia ullius nihil magis quam lenitas deceat. Atque ego optimum et emendatissimum existimo, qui ceteris ita ignoscit tamquam ipse quotidie peccet, ita peccatis tamquam nemini ignoscat. Proinde hoc domi, hoc foris hoc in omni vitae genere teneamus, ut nobis implacabiles simus, exorabiles istis etiam qui dare veniam nisi sibi nesciunt, mandemusque memoriae quod vir mitissimus et ob hoc quoque maximus, Thrasea, crebro dicere solebat: „qui vitia odit, homines odit"; quam agendi rationem in omnibus vitae conditionibus, quoad vixit, adhlbebat.

Quare praecipuam mansuetudinis laudem esse opinatus Plinius, quum irae causa justissima esset; multis verbis Sabinianum implorabat, amicum, ut servo cuidam ignosceret, qui ad illum cucurrerat illique supplicarat, ut veniam a domino irascenti deprecaretur, IX, 21. Quum, Domitiano exciso, primis diebus libertatis redemptae suos quisque inimicos postularet et Plinius summa cupiditate inflammaretur, innocentes

ulciscendi, nocentes insectandi delatoresque illos improbos opprimendi, tamen et modestius et constantius et aequitati accommodatius arbitratus est, inimicos suos non communi temporum invidia urgere, sed exspectare, donec ira ad justitiam rediisset, veritus, ne primo quoque impetu ad injuriam quandam impelleretur. IX, 13, 4. Et ali● loco Genitorem amicum exhortatus est, ne de prava aliorum vivendi ratione acerbius judicaret, sed hoc teneret: „Demus alienis oblectationibus veniam, ut nostris impetremus" IX, 17. 4.

Quam vero aequo et justo animo Plinius agnoverit merita et percensuerit eorum quibus erat praefectus, intelligi potest ex ep. X 85 et 86, ubi Maximum procuratorem et Gabium Bassum praefectum orae Ponticae testimoniis ornatissimis Trajano imperatori denotat. Tantum vero abfuit, ut vir summae lenitatis et clementiae in vitia et foeda et turpia conniveret, ut ingenua indignatione et libera iracundia ea reprehenderet, in lucem proferret, perstringeret. Vituperabat enim pertinaciam juvenum VIII, 23, 3: „statim (adolescentuli nostri) sapiunt, statim sciunt omnia, neminem verentur, imitantur neminem atque sibi ipsi exempla sunt"; VIII, 6 adulationem pessimam senatus in Pallantem, ex qua humilitas senatus et vilitas honorum illius saeculi satis cognoscatur; IX, 30, 4, avaritiam aequalium: „ea invasit homines habendi cupido, ut possideri magis quam possidere videantur, denique II, 30. captationem testamentorum, ac praecipue Reguli istius. Cujus viri „nequissimi omnium bipedum (I, 5, 14) summo odio erat inflammatus Plinius; et jure quidem. Reputantes enim nobiscum ea, quae Tacitus (hist. IV, 42) aliique scriptores illius saeculi, maxime vero quae Plinius de moribus ejus commemoravit, (I, 5. II, 20, IV, 2 IV, 7), dubitabimusne profiteri, Plinium summo jure virum illum improbissimum, impudentissimum, impium odisse, qui Nerone, Galba, Othone, Vitellio et potissimum Domitiano imperantibus et delator et accusator quum permultis viris praestantissimis, iisque amicis Plinii et maximis illius saeculi ornamentis perniciem molitus erat, tum maxime Plinium ipsum in causis dicendis insidiosis laqueis in periculum vocare tentaverat? Siquidem ulla ira justa est, qua perductos bonos homines vitia et pravitates aliorum odisse par est, tum vituperatio illa, quam Thierfeld in praefatione ad conversionem suam epistolarum Plinii huic injicit merito minuenda atque etiam diluenda est. Thierfeld enim dicit pag. 60.

„Unversöhnlichkeit, harter Spott und Schadenfreude leuchtet aus dem Benehmen hervor, welches Plinius gegen seinen Feind, den Rechtsgelehrten Regulus bewiesen hat. Der Grund dieser Feindschaft lag darin, dass Regulus den Fall des Arulenus Rusticus eines Freundes von Plinius befördert und über seinen Tod gefrohlockt, ja sogar in einer Schrift ihn durchgezogen und einen Affen der Stoiker genannt hatte (I, 5). Dies giebt Plinius wenigstens als Hauptgrund an, ungeachtet ich nach dem Inhalte desselben Briefes glauben möchte, dass mehr die Spötteleien des Regulus über die flache Gelehrsamkeit des Plinius, seine weitschweifigen Vorträge und sein Streben, ein Nebenbuhler des Cicero und Demosthenes zu werden, der wahre Grund dieser unversöhnlichen Feindschaft gewesen sei. Regulus traf hier die empfindlichste Seite des Plinius, die Einbildung dieses Mannes von seinem wissenschaftlichen Werthe, und dies konnte ihm Plinius nie vergeben."

Attamen mirum videtur, Plinium, qui tam benigne, prudenter, considerate de omnibus viris sui saeculi judicat, etsi non omnes studia ipsius comprobarent atque laudarent, de hoc uno tam acerbe et graviter existimasse, nisi alia causa penitus insita eum adduxisset. Fuit autem haec minime ambitio gloriolae honorisque Plinii a Regulo explosa, nullum enim aliud exemplum apud Plinium invenires, ex quo cognosci posset, eum hac de causa injuste de aliis judicasse, sed fuit illa excandescentia justa de nequitia, impudentia, improbitate viri, qui minister saevitiae imperatorum malorum optimos quosque homines illius saeculi perdere studebat (I, 5) qui hereditates captabat II, 20. qui luctu simulato mortem filii insane lugebat, IV, 2, „quo, ut verbis Plinii utar, „mendacius nihil erat quemque esse facturum certum erat, quidquid fieri non oportebat". (l. l. 8.)

Quanto amore affectus fuerit Plinius erga uxorem et amicos, jam supra dixi, restat, ut demonstrem, qualis fuerit in servos. Erat ei semper in animo et Homericum illud: „πατὴρ δ'ὣς ἤπιος ἦεν." et hoc Romanum: „pater familiae". cf. V, 19, 2. Suos nominat, non servos, ut suos tractabat, magna cum facilitate eos manumisit iisque concessit, ut testamenta quasi facerent, quae ut legitima se custodire ipse dicit VIII, 16. Et magna haec lenitas Plinii erat, propterea quod e legibus Romanorum servis non licuit vel peculio frui vel potestatem ejus habere, nam ita constitutum erat, ut

servi et ipsi et omnia quae possiderent aut multo labore peperissent, non suo ipsorum arbitrio permissa, sed in potestate dominorum essent.

Itaque improbabat alios, qui „ejusmodi casus nihil amplius vocarent, quam damnum eoque sibi magni homines et sapientes viderentur; „qui an magni sapientesque sint, nescio, homines non sunt.“ (ibidem 3. cf. V, 19;) ubi Paulinum amicum rogabat, ut Zosimum libertum suum sanguinis exspuitione laborantem in praediis reciperet, quia ibi aër salubris et lac ejusmodi curationibus accommodatissimum esset. Quis igitur, mores et instituta Romanorum non ignorans dubitet, quin magni, excelsi, humani animi Plinius fuerit quod opinione aequalium de servis tractandis non deterritus impulsu tantum suae mitis naturae gubernabatur; itaque Paulino suo scribit V, 19, 1. „video quam molliter tuos habeas, quo simplicius tibi confitebor, qua indulgentia meos tractem.“

Et patrem familiae rem familiarem diligenter tuentem cognoscimus Plinium ex ep. IX, 37. Quamquam enim in fructuum calamitate magnam vectigalium partem jam remiserat colonis, hi tamen aes alienum se persoluturos esse desperantes rapiebant consumebantque omnia quaecumque nata erant, cui damno ut mederetur, optimum duxit agros non nummo annuo, sed partibus certis fructuum locari cf. X, 8, ubi Trajanum rogat commeatum triginta dierum, ut utilitatibus rei suae familiaris consuleret, quod nisi praesens efficere posset; fuit enim tum proconsul Bithyniae et Ponti.

Si denique verissimum est, quod ipse dicit ep. IV, 27.

γιγνώσκεων ὅτι
τοιοῦτός ἐστιν οἷςπερ ἥδεται συνών

conjicere possumus de ingenio ac moribus Plinii quaerentes qui qualesque fuerint viri, quorum consuetudine utebatur. Jam supra commemoravi nonnullos amicos, qui laude et studiorum et integritatis florentes Plinium ut amicissimum non habuissent, nisi sui simillimum putassent. Addas vero his Quintilianum VI, 32, Silium Italicum III, 7, Martialem III, 21. Vestricium Spurinnam II, 7, III, 10, III, 1. Caninium Rufum I, 3. II, 8. 21. VII, 18. VIII, 4. Arrium Antoninum V, 15. IV, 18. Vergilium Romanum IV, 21. Voconium Romanum I, 5, III, 13, VI. 33, VIII, 8, IX, 28, qui omnes laude litterarum florebant, et duos illos viros, qui inter omnia illius saeculi ornamenta maxime eminebant, Cornelium Tacitum historicum I, 6, I, 20. IV, 13, VI, 9, VI, 16, VI, 20,

Vll, 20, VII, 33, VIII, 7, IX, 10, 14 et Trajanum imperatorem cf. lib. X epistolarum. Quod si constat, tales viros cum Plinio firmam et perpetuam amicitiam contraxisse, nonne in eum transferendum putas praeclarum illud:

„Wer den Besten seiner Zeit genug gethan,
Der hat gelebt für alle Zeiten."

Quaerentes autem, qualis fuerit in consuetudine aliorum et maxime amicorum, caveamus, ne ei morositatem vel asperitatem tribuamus. Immo vero hilari laetoque animo ac liberalissime amicos habebat. Et ipse dicit: „aliquando praeterea rideo, jocor, ludo atque omnia inoxiae remissionis genera amplector; homo sum". V, 3. 2. Permultae epistolae nobis praebent jocos suaves et facetiarum plenos, ut I, 6 ubi Tacito nuntiat, se tres apros et pulcherrimos quidem cepisse, I, 11, qua Fabium Iustum adhortatur jocose, ut epistolas sibi mittat, I, 15. qua Septicium Clarum lepide carpit, quia non ad coenam venerat. II, 20. „assem para et accipe auream fabulam". IV, 29, qua festive Romatium Firmum admonet, ne causis forensibus desit et ei severitatem Licinii Nepotis praetoris comminatur, Vll, 12, ubi se apud Minuçium excusatum vult de libello tardius misso, IX, 16, qua pollicetur, se Mamiliano amico pro novo musto novos versiculos missurum esse, ut primum defervisse viderentur. IX, 25. qua eundem amicum exorabat, ut passerculis et columbulis ipsius inter aquilas ejus pennas daret, IX, 28. ubi Romanum monebat, ut prima quaque occasione litteras mitteret appositis quidem usuris, quas non parcius quam centesimas computari vellet.

Nec minus laudandus videtur animus Plinii apertus, simplex, liber, quo in consuetudine amicorum usus est. Libere enim nuntiat Paulino amico, se primo ejus consulatus die Romam non esse venturum, ut eum votis et gratulatione celebraret, nam „haec esse officia translaticia quae a familiaribus amicis contra ipsorum commodum exigere nefas putabat" IX, 37. libere confitetur Atrio se librum acceptum nondum legisse IX, 35. Conferas etiam quod Trajano, quum commeatum ab eo peteret, ut praedia statuas deorum principumque transferret, scripsit: „non est autem simplicitatis meae dissimulare apud bonitatem tuam obiter te plurimum collaturum utilitatibus rei familiaris meae" X, 8, 5. ne in suspicionem veniret, se simulatione piae rei praestandae aliud sibi propositum consequi voluisse. Eademque animi libertate Trajano nuntiat, se uxori ad amitam suam profecturae diploma commodasse im-

peratore inconsulto et hoc fiducia indulgentiae Trajani fecisse. X, 120.

„Ut vero in pictura lumen non alia res magis quam umbra commendat“ (Ill, 13, 4) ita in adumbratione morum Plinii parum valida ingenii pars silentio transeunda non est. Nimia enim cupiditate incensus jactanter se ipsum imitatorem Demosthenis (l, 2, 2.) et M. Tullii Ciceronis nominabat. (l, 2, 4. l, 5, 12, lV, 8, 4.) timebat, ne existimatio dignitasque sua in discrimen adduceretur, et ipse Caesarem decepisse videretur, si Sextus Erucius tribunatum non adipisceretur, ll, 9; queritur de causis centumviralibus ut parvis et exilibus, quibus quidem se magis exerceri quam delectari dicit, propterea quod „raro vel personarum claritate vel negotii magnitudine insignis incideret (ll, 14, 1.) iisque res illustres et claras anteferebat, quibus majorem gloriam et famam sibi parare posset Vl, 29, 3. Quanta jactantia impletus Maurico amico nuntiat: „proxime frequenti auditorio inter se coram multis ordinis nostri clare jocabantur: intravi, conticuerunt,“ ll, 18, 2, et alio loco: „frequenter agenti mihi evenit, ut centumviri quum diu se intra judicum auctoritatem gravitatemque tenuissent, omnes repente quasi victi coactique consurgerent laudarentque, frequenter e senatu famam, qualem maxime optaveram rettuli“ IX, 23, 1 et 2. Immodica sui existimatione a Tacito deprecatus est ut factum ipsius, quod plurimi pependit, defensionem Baeticorum contra Baebium Massam, historiarum libris, quos immortales esse futuros augurabatur, insereret (Vll, 33, 1 et 4.); quam gloriose praedicat, „se juveniorem consulatum consecutum esse, quam Cicero IV, 8, 5. profert carmen, quo Martialis laudem suam celebrat lll, 21. immodice et inepte laetatur, quod nomen suum una cum Taciti, viri illustrissimi in sermone hominum versabatur: „Tacitus es an Plinius“. (lX, 23, 3), et sine ulla verecundia fatetur, „se repetisse ea maxime, quae Sardus amicus de ipso scripsisset“ lX, 31, 1. jubetque, quum Corinthium signum Comensibus donasset, basim marmoream fieri, cui nomen suum honoresque inscriberentur lll, 6. 5.

Nec minore arrogantia de se ipso praedicat orationi cuidam suae majorem quam Demosthenis laudem attribuens IV, 5, versiculos suos copiosius quam prudentius defendens V, 3 Vlll, 21. atque etiam gloriatur, „hendecasyllabos (suos) legi describi, cantari et a Graecis quoque, quos eorum amor Latine docuerit, cithara et lyra personari“. Vll, 4, 9. Quibus

laudibus effert eventus, quos actionibus erat consecutus, VI, 29, 8 sequ. II, 11, IV, 9, VI, 33, IX, 13, III, 9, 23: „eodem senatus consulto industria fides constantia nostra plenissimo testimonio comprobata est, dignum solumque par pretium tanti laboris". Eodemque jure reprehendenda est nimia laus quam sibi Plinius injunxit propter munificentiam in Comenses I, 8, (etiamsi hanc laudem simul excusare studeat l. l. 12.) quod Classici filiam innocentem libere defenderat III, 9, 20, quod Artemidorum philosophum facultatibus suis adjuvarat, III, 2, „quod Classicus, qui a Pomponia Galla matre exhereditatus ab hoc adjutus hereditatem receperat, „hoc factum antiquum notabili honore significavit" V, 1, 11. quod poëmata Sentii Augurini in suam laudem facta commemorat IV, 27, quod tam effuse praedicat cupiditatem sui audiendi IV, 16, denique quod effectum panegyrici sui nimis effert, III, 18. Ea enim erat imbutus sententia, homini nihil dari posse majus, quam gloriam laudem, aeternitatem cf. III, 21, 6, hic erat finis quem omnibus suis studiis, laboribus, contentionibus proposuerat. Sed de his animi erroribus Plinii mitius ac lenius esse judicandum censeo. Respicias enim velim, omnibus hominibus et optimis quibusque innatum esse quendam gloriae appetitum et cupiditatem se proferendi aliosque competitores superandi, quod si ita non esset, nemo unquam ullo naturae impulsu adduceretur, ut aliquid bonum insigne, laude dignum perficere vellet; porro vero intueamur rationes et temporum, et vitae et conditionis, quibus quisque utitur, et meminerimus, nullum hominem esse omnibus vitiis vel erroribus vacantem, eundemque vel secundo laborum eventu vel blanditiis ad majorem gloriae adipiscendae gloriam impelli; tum hi errores Plinii minores videbuntur, quam a multis reperti sunt. Vixit autem Plinius temporibus, quae litterarum studiis modo opportuna, modo infesta, postremo vero accommodatissima erant, quibus omni facultate et occasione adempta, vel bellis secundo Marte gestis vel provinciis sapienter justeque gubernatis aliquam gloriam adipiscendi, hos enim omnes honores imperatores sibi vindicarant, civibus honestis nihil supererat, quo praestarent aliis nisi litterae et eloquentia forensis. Quid? num pravi animi est, laetitia affici, quamvis ultra modum progrediatur, de secundo proventu studiorum et contentionum dummodo ea aliis dammum non inferat? Quin etiam credam, fieri potuisse, ut alii ex ipsa laetitia, qua affectum Plinium videbant, ad majores contentiones incitarentur. Tantum autem

abest ut Plinium de his vitiis plane purgari posse credam, ut eum excusatum velim. Praeterea omittendum non est in epistolis Plinii complura exempla verae et egregiae modestiae exstare, ut I, 10, 3, „aut ego nunc illas (virtutes Euphratis philosophi) magis miror, quia magis intelligo; quamquam ne nunc quidem satis intelligo". III, 5, 19. „quis ex istis, qui tota vita litteris adsident collatus illi (avunculo) non quasi somno et inertiae deditus erubescat"? III, 6, 1. „quantum ego sapio, qui fortasse in omni re in hac certe perquam exiguum sapio". IV, 8, 5: „sed utinam senex saltem ingenium ejus (Ciceronis) aliqua ex parte assequi possem!" V, 8, 8: „ac nunc demum (anno circiter CII.) quid orator praestare debeat adhuc tamen per caliginem video", (hanc epistulam illo anno esse scriptam ex eo conjicio, quod dicit: „egi magnas et graves causas" l. laud. 6, conferatur quoque VI, 29, 8 ubi has causas nominat) V, 15, in qua Arrio Antonino amico scribit: „quum versus tuos aemulor, tum maxime, quam sint boni experior.' Ut enim pictores pulchram absolutamque faciem raro nisi in pejus effingunt, ita ego ab hoc archetypo labor et decido", VIII, 7, 2 „sed ne discipulus quidem debeam dici (Taciti)" V, 3, 7: „sed illi (M. Tullius, C. Calvus alii cf, l. eod. 5) judicio suo poterant esse contenti, mihi modestior constantia est, quam ut satis absolutum putem, quod a me probetur".

Sed satis de hoc; transeamus ad aliud ingenii Plinii momentum; videamus, quid de diis eorumque vi ad res humanas senserit.

Veterum autem doctissimorum animos nondum ad rectiorem melioremque cognitionem dei, quae sola e christiana religione proficiscitur perductos eamque ob rem de notione et vi deorum inter se maxime discrepantes nullas alias causas et nulla principia rerum divinarum nisi fictas et commenticias fabulas esse secutos, inter omnes satis constat. Nam varietatem admirabilem stellarum innumerabilium et circulos orbesque suos sine ulla aberratione conficientium contemplati intellexerunt, numen quoddam divinum et potentissimum sit necesse esse, cujus voluntate et consilio et regerentur et conservarentur; modo vero, magnam hanc in constantiam perpetuamque voluntationem et fluctuationem rerum humanarum intuiti, in quibus nihil certi, nihil constans, nihil obfirmati inesset, dubitaverunt, num hae res humani generis eodem numine eodemque consilio quo illae, regerentur, an fato quodam in-

certisque fortunae casibus. Quo factum est, ut essent, et qui diis summam curam rerum humanarum maximamque sapientiam in iis gubernandis tribuerent, et qui altiorem quandam deorum potentiam, regimen quoddam divinum pertinaciter recusarent quique omnia e naturae firmo atque consueto ordine fieri dicerent omniumque rerum ultimas causas in rebus ipsis inesse itaque nihil tenebris obvolutum putarent, neque hominem ad altiorem quendam finem, nisi ad hanc vitam ipsam destinatum esse et post mortem nihil secuturum sed animum una cum corpore interiturum esse persuasum haberent. Qua quidem sententia confisi hi nullam aliam immortalitatem statuerunt, nisi quae virtutibus ac meritis vel de patria vel de litteris vel de amicis et suis parta in memoria et aequalium et posterorum contineretur. Hanc vero opinionem et temporibus rei publicae extremis et maxime eo saeculo, quo Plinius vixerit, pervulgatam esse, quum viri doctissimi vel praeceptis philosophorum perducti, vel amissa libertate torpore, mollitia, levitate desperationeque fracti majorum sententias de regimine deorum tamquam supertitiosas abjecissent, ex scriptis Ciceronis, Senecae, Tacití intelligitur cf. Haase in commentationibus de Taciti vita ingenio scriptis pag. XXVI et sequ. Plinium vero, quamquam et aequalis et simillimus et amicissimus Tacito fuit, aliam eamque rectiorem opinionem de vi et potentia deorum ad res humanas habuisse contendam. Nam eum illam quidem majorum praestantiorem sententiam pluris existimavisse, quam hanc deteriorem etsi usitatam, intelligimus e panegyrico, qui his verbis incipit „bene ac sapienter majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi a precationibus capere, quod nihil rite, nihil providenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur“ quae precatio ipsa sequitur (eodem loco alinea 18). Alio vero loco deos fundatores libertatis redemptae nominat, paneg. 8 : „qua (adoptione) tandem non servitus nostra sed libertas et salus et securitas fundabatur. Sibi enim gloriam illam dii vindicaverunt; horum opus, horum illud imperium, Nerva tantum minister fuit“. Quanta autem pietate quamque religiose precatus sit diebus feriatis deos, ut Trajanum, imperatorem optimum, cujus in salute tutelam et securitatem generis humani positam esse arbitrabatur, florentem incolumemque servarent, cognosci potest ex ep. X, 1, 2, 13, 14, 51, 35, 52. Quam praeclarum illud: „Infirmus non amoribus servit, non adpetit honores opes negligit et

quantulumcumque ut relicturus satis habet; tunc deos, tunc hominem se esse meminit". VII, 26, 2. Quam memorabile hoc, cujus nullum christianum pudeat: „animadverto enim etiam deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus quam innocentia et sanctitate laetari gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit", paneg. 3 extr.

Dicet vero aliquis, Plinium hoc non tam certa animi persuasione de vi deorum permotum fecisse; quam veterem consuetudinem a majoribus ad ejus aetatem traditam secutum esse. Si vero nobiscum reputaverimus, Plinium veram sinceramque pietatem Trajani omni occasione laudasse, quia et inter venandum pia mente templa et sacella audiisset et numinibus occursasset paneg. 81, quia delubra deorum non nisi adoraturus intrasset. paneg. 52, quia perpessus esset in comitiis longum illud carmen comitiorum nec jam invidendam moram paneg. 63. dubitabimusne, quin et ipse summa et sincera pietate erga deos imbutus fuerit? An credamus Plinium eam pietatem Trajano laudi dedisse, nisi ipse hanc homini bono virtutisque consorti accommodatissimam duxisset?

De immortalitate vero eandem, quam omnes fere veteres, sententiam habuit, eam enim non in vita post mortem aeterna, sed in gloria et memoria posteritatis esse positam arbitratus est. Legimus enim ep. IX, 3: „etenim omnes homines arbitror oportere aut immortalitatem suam aut mortalitatem cogitare, et illos quidem contendere eniti, hos quiescere, remitti, nec brevem vitam caducis laboribus defatigare"; V, 5, 7: „occursant animo mea mortalitas, mea scripta; proinde, dum suppeditat vita, enitamur ut mors quam paucissima, quae abolere possit, inveniat" et in panegyrico 63 laudat Trajanum, quod comitiis interfuit candidatus non tam consulatus, quam immortalitatis et gloriae".

Quamquam vero Plinius immortalitatem pro virtutis studiorumque praemio habuit et in gloria posuit, et amicos vehementer exhortatus est, ut ei studerent, tamen non statuit, eam quovis modo esse expetendam, gloriam enim malis artibus comparatam vituperat aeque ac nimiam cupiditatem gloriae et fructum honestatis in conscientia officiorum collocabat cf. I, 8, 14: „Praeterea meminimus, quanto majore animo fructus honestatis in conscientia quam in fama reponatur. Sequi enim gloria, non adpeti debet nec si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam meruit, minus pulchrum est."

Quanta pietate Plinius ipse deorum cultum servaverit conjici potest e munificentia, qua sua pecunia templum in oppido Tifernorum Tiberinorum exstruxit IV, 1. qua in praediis suis Cereris templum non solum refecit verum etiam amplificavit IX, 39, quam religiose haesitavit, num salva religione aedes Matris Magnae Nicomediae transferri posset X, 49, num reliquiae mortuorum in alium locum propter fluminis incursum transferendae essent X, 68.

Ex eadem sententia Plinii de potentia, qua dii in rebus humanis uterentur, ea causa etiam repetenda est, qua ille superstitionibus obnoxius fuit. Opinio enim illis temporibus pervulgata erat, deos res humanas curantes praesagiis quibusdam nonnunquam hominibus res futuras indicare, quibus diligenter observatis calamitates saepius evitari possent. Exempla hujus superstitionis invenimus I, 18, quo loco narrat, sibi quiescenti socrum suam visam esse et obsecrasse, ne causam Juni Pastoris ageret, V, 5, 5, Tamio jacenti in lectulo Neronem visum esse et mortem indixisse, quum librum, quem ille de sceleribus ejus edidisset, ter ad extremum revolvisset VII, 27, quinque fabulas de umbris nobis tradidit atque etiam e colapho, quem eques quidam Romanus Largio Macedoni, viro praetorio in balineo duxerat, conjecturam fecit de morte illius viri III, 14, 6 et 7. Nihilo minus vituperabat, si quis modum in superstitione transiens risum aliorum movisset, eludit enim Regulum, quod semper haruspices consulebat de eventu actionis, quae res „a nimia superstitione veniebat“ VI, 2, 2.

Jam vero consideremus, qua ratione et mente in christianis illius temporis tractandis usus sit X, 96, praesertim quum sint, qui hanc rationem agendi ei opprobrio dent et crudelitatem nominent, et qui eum clam religioni christianae addictum esse dicant.

Missus erat Plinius a Trajano in provincias Bithyniam et Pontum propraetor consulari potestate (Masson. p. 132), quoniam „multa in ea emendanda apparuerant“ X, 32, 1. inter quae mala sine dubio duxerunt Romani religionem christianam, in qua exitiabilem et maleficam superstitionem inesse putabant, (Tacit, Annal. XV, 44, 5, Sueton. Nero 16.). Quam ob rem timentes, ne e doctrina christianorum longe tum disjuncta, si quando formata et latius pervulgata esset, maximum periculum et sacris publicis et statui imperii immineret et falsis rumoribus de conventibus finibusque christianorum commoti, praesertim quum eos hetaerias sodalitatesque esse arbi-

trarentur, quae illo tempore maximeque Iudaeorum quibuscum nonnumquam christiani confundebantur, seditione illa gravissima a Vespasiano et Tito vix oppressa Hierosolymisque funditus deletis tam suspectae erant principibus, ut Trajanus eas omnino esse vetuisset, omnibus viribus sibi enitendum esse duxerunt Romani, ut hanc superstitionem novam penitus everterent. Conferatur de hac re, quod Gerh. Joan. Vossius in commentario in epistolam Plinii de christianis dicit. (Amstelodami 1656) pag. 37, et sequ. Ex his vero nec aliis atque fallacibus judiciis proficiscendum nobis est rationem recte dijudicaturis, quam Plinius in christianos adhibuit. Potestne Plinio, viro quum sacris patriae institutis deditissimo tum egregia officii exsequendi fide praedito crimini verti, quod eandem sententiam, quam Tacitus, Suetonius, alii viri supra vulgus sapientes tenebant, ex nova illa religione novum rerum ordinem, novum imperium nasci posse, secutus, confessores illius religionis puniendos esse putavit? Addas vero, quod sacerdotes, templis deorum jam desolatis et sacris solemnibus diu intermissis perterriti et sollicitati Plinium instabant, ut hoc periculum sacris publicis impendens propulsaret.

Minime vero fieri potuit, ut vir summa aequitate, summa clementia omni discrimine neglecto crudeliter in christianos ageret. Insolentius enim et immodestius de christianis Tacitus Annal. XV, 44, 4 et 5. et Suetonius Nero 16: „genus hominum superstitionis novae et maleficae," censent quam Plinius, qui doctrinam eorum „culpam vel errorem" X, 96, 7 et supertitionem nominat, (quo quidem nomine Romani omnes religiones nominabant, quae ab ipsorum deorum cultu dissidebant) qui quum nihil tormentis etiam adhibitis in vita christianorum reperisset, quod damnaret (cf. Vossius l. l. pag. 42) nesciens quid et quatenus in iis esset puniendum et misertus magni periclitantium numeri clementiam et indulgentiam magis quam severitatem et crudelitatem idoneam esse ad novam religionem opprimendam existimavit cf. X, 96, extr.: „facile est opinari, quae turba hominum emendari possit, si sit poenitentiae locus." Quibus rebus consideratis nemo fere erit, qui dubitet, quin Plinius ipse in suspicionem imperatoris venisset, si aliter in christianos egisset, atque officium muneris proconsularis et cultus deorum patriae postularet.

Restat vero hoc unum, ut quid Plinius vir libertatis communis studiosus de principum dominatione senserit, paucis commemorem. Libertate enim jamdudum cum servitute com-

mutata omnique republica libidini effrenatae principum concessa pristina illa conditio veterum Romanorum, qua florente reipublicae libertate usi erant, plane mutata erat. Fieri enim non potuit, ut juvenes jam a prima pueritia amore libertatis imbuerentur quo ad studium libertatis defendendae incenderentur, quum nequitia, improbitas, obsequium et obedientia, quae voluntatibus principum praestabantur in majore essent honore, quam pudor, honestas, justitia, quae optimis quibusque viris hujus saeculi perniciei fuerant cf. Tacit. hist. I, 2, 4: „quum nobilitas, opes, omissi gestique honores pro crimine essent et ob virtutes certissimum exsilium". Quo factum est, ut quum „principes gloriae aliorum invidentes viros non perferrent, qui sua laude supra ipsorum fastigium attolli viderentur" permulti invenirentur, qui eorum libidini paratos ministros se praeberent et in omnibus rebus, sua ipsorum auctoritate vel voluntate neglecta, jussa principum tantum adspectarent. cf. Haase l. l. p. XXXVI Quid? nonne e malis minimum sibi elegit Plinius, qui nec contumacia inutili nec inani libertatis jactatione iram imperatorum malorum in se convertebat, sed prudenter temporibus usus honoribus gerendis abstinebat, ne flagitiorum illorum particeps fieret vitiisque ipsis illius saeculi corrumperetur et facultatem de civitate bene merendi dimittere, quam in capitis periculum et vitae discrimen se inferre malebat?

Quid miremur quod optimi et honestissimi viri postea, quum malis imperatoribus ac praecipue Domitiano sublatis mite Trajani imperium secutum esset, quo regnante tanta omnium rerum commutatio exorta est, ut „principatus et libertas, res olim dissociabiles miscerentur" (Tacit Agr. 3, 1.) libertate restituta contenti insuperabilem temporum necessitatem aequo animo tulerunt eamque imperii formam, quae ad reipublicae liberae similitudinem proxime accederet, praedicarunt (l. ll.) „immensum imperii corpus sine rectore stare ac librari non posse rati.

Praeterea jam subitae illae et repentinae commutationes ac vices principum, modo malorum, modo bonorum, quorum sub imperio boni cives modo non nisi delationibus et periculis in lucem proferebantur et summis periculis ob virtutes ipsas exponebantur, modo ob eandem causam, quod malis principibus invisi et suspecti fuerant, a bonis ad summos honores adducebantur, cives Romanos tam faciles et flexibiles reddiderant, ut „quamcunque in partem ducerentur atque sequaces

essent" cf. paneg. 45. Plinius quoque, qui malis imperatoribus regnantibus periclitatus erat, qui quum Domitiani imperio gloriae, honestati, decori, incolumitati omnino locus non fuisset, ab omnibus muneribus publicis se removerat et studio otioque dederat; libertate a Trajano quodammodo restituta, statim ad munera publica accessit.

Minime vero immodicam obedientiam principi dignitatis suae immemor praestitit, sed semper talem morem gessit, ut ita a minoribus amaretur, simul a principe diligeretur omnique modo hoc evitare studuit, ut „dum vereretur ne gratiae principis nimium impertire videretur adulationis famam consequeretur". Qua adulatione quum vacaret Plinius tamen in scriptis maximeque in panegyrico suo verecundiam summam ac venerationem in Trajanum reperimus, qua propter virtutes illius viri illustrissimi imbutus erat, et in epistolis, quas e Bithynia Trajano miserat semper virum affabilem et blandum se praebet, qui sententiis et verbis apte ac eleganter conformatis modo imperatori gratulatur, modo gratias ab eo vel sibi vel amicis flagitat, modo sententias et rationes principis de maximis rebus repetit, cf. X. 3 extr. 8, 31. 88. alias. Attamen hac verecundia Plinius commoveri non potuit, ut suam sententiam de aequitate, justitia, honestate deponeret. Quum enim Domitiano occiso maxima cum fortitudine Certum inimicum tum opibus et auctoritate validissimum accusaret Helvidii ultionis causa, nullis hisque gravissimis precibus et admonitionibus amicorum deterritus est a proposito suo; ipse narrat de hac re latius ep. IX, 13; et alia exempla animi impavidi Plinii sunt in ep. II, 11 ubi de causis contra M. Priscum, III, 4 et 9, contra Caecil. Classicum, IV, 17 contra C. Caecilium agitur.

Jam transeamus ad imaginem boni principis, quam Plinius cogitatione sibi effinxerit. Panegyrico enim oratione illa praeclara, diligenter perlecto intelligemus, Plinium eandem sententiam quae republica florente viguerat, justissimam duxisse: „procuratio reipublicae ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad corum, quibus commissa est, gerenda est" Cicero c. off. I, 25. 2. Quare et malos principes, qui hac ratione neglecta rempublicam ex sua solum libidine suoque ipsorum commodo gubernaverant, quam acerrime vituperat, et Trajanum summis laudibus praedicat, quod „nihil amplius sibi licere quam civibus" (paneg 65) „nec esse principem super leges, sed leges super principem" arbitrabatur, quod

„priscum mortalium bonum amicitiam, cujus in locum sub malis principibus assentationes, blanditiae et pejor odio amoris simulatio migraverant, reduxerat (paneg. 85), quod delationibus coërcitis delatoribusque multatis et remotis justitiae et aequitati pristinam auctoritatem restituerat et sanctitate, castitate, integritate vitae clarissimum vivendi exemplum praebebat: „manifestum enim est, principum disciplinam capere etiam vulgus, quum rem si ab uno fiat severissimam fecerint omnes" paneg 46; denique quod rationem reddiderat de sumptibus paneg 20 extr. „adsuescat imperator cum imperio calculum ponere: sic exeat, sic redeat, tanquam rationem redditurus, edicat quid absumpserit. Ita fiet ut non absumat quod pudeat dicere. Praeterea principes futuri velint nolint sciant: „tanti constat" praepositisque duobus exemplis meminerint perinde conjecturam de moribus suis homines esse facturos prout hoc vel illud elegerint". Nonne facile est cognitu, magnam similitudinem esse inter ea, quae Plinius boni principis esse dicit et ea quae nostra aetas a viris civitates gubernantibus utique poscit? Quam memorabile illud: „Ecquid ergo discimus experimento, fidissimam custodiam principis ipsius innocentiam. Haec arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Frustra se terrore succinxerit, qui septus caritate non fuerit; armis enim arma invitantur" paneg 49, et alio loco: „praeterea ut quisque factus est princeps extemplo fama ejus, incertum bona an mala ceterum aeterna est. Non ergo perpetua principi fama quae invitum manet, sed bona concupiscenda est, ea porro non imaginibus et statuis sed virtute ac meritis prorogatur" paneg 55 extr. Num aliis verbis odium et pravitatem malorum principum acerbius castigare potuit? Ex his vero aliisque locis panegyrici perspicue apparet Plinium libertatis veteris communis acerrimum defensorum et quasi propugnatorem fuisse nec desiisse, quantum per iniquitatem temporum posset, principes adhortari ut illius libertatis memores quae facere deberent, cognoscerent. Nonne e mollissimis verbis dolor libertatis amissae cognoscitur, quibus Maximum amicum exorabat, ut Achajam provinciam aequitate et clementia gubernaret: „Cogita, te missum ad ordinandum statum liberarum civitatum, id est, homines, maxime homines. liberos maxime liberos, quod jus a natura datum virtute meritis amicitia foedere denique et religione tenuerunt." et infra: „habe ante oculos, Athenas esse, quas adeas, Lacedaemonem esse, quam regas, quibus reliquam umbram et residuum libertatis

nomen eripere durum, ferum, barbarum est." VIII, 34, 4. „quid libertate pretiosius?" Porro quam turpe si libertas servitute mutetur?" eod. loco. 8. Nec contentus fuit Plinius eloquentia et ratione, qua artes litteraeque ingenuae illis temporibus, quippe quae studiis liberalibus iniquae essent, colerentur, sed ut erat pristinae illius conditionis liberae civitatis reducendae cupidus, ita studia litterarum, quatenus fieri posset, eadem esse voluit, quae republica florente valuerant; itaque ipse „stultissimum esse" ratus, „non optima quaeque ad imitandum proponere" I, 5, 13, Ciceronem Demosthenem aliosque viros litterarum laude florentes imitari studuit. At haec Plinius non fecisset, nisi omnium rerum, quibus pristinae reipublicae memoria servari posset, amantissimus fuisset, sed abjecta omni libertatis cupiditate id tantum egisset, ut quaecumque animos principum irritabiles veteris liberae civitatis commonere possent, evitaret.

Praeterea vero perfacile cognoscendum est, qua religione, qua fide et diligentia Plinius muneribus et officiis ipsi commissis perfunctus sit, et e panegrico 95, ubi testimonii mentionem facit, quod a senatu propter quietem in tribunatu, modestiam in praetura, constantiam in causis agendis impetraverat et ex epistola Trajani X, 62: „manifestum est, mi Secunde carissime, nec prudentiam nec diligentiam tibi defuisse circa istum lacum (in Nicomedensium finibus cf. X, 51.) quum tam multa provisa habeas......., elige igitur id quod praecipue res ipsa suaserit."

Diligentissime enim excutiebat impendia, reditus, debitores urbium provinciae suae cf. X, 17 et 47; consulebat necessitatibus provincialium cf. X, 23, 33. 37. 39. 41. 43. 61. 70. 79. 90. 98. 108, studiose inserviebat commodis singulorum a quibus appellabatur cf. X, 58. 81. 106. 110; certiorem faciebat Trajanum de meritis eorum, quibus praefectus erat eosque imperatori commendabat ut eos vel ad majores honores proveheret vel gratia ornaret, cf. X, 26, 85. 86. 87. Nonne igitur putemus Plinium, virum justitiae et aequitatis tenacissimum eadem praecepta et regulas, quae alios docuisset quaeque apud alios praedicasset, sibi ipsi praescripsisse, ex quibus officiorum partes sustineret? Tironem enim amicum laudabat, quod eum modum tenebat, „ut discrimina ordinum dignitatemque custodiret, quae si confusa, turbata, permixta essent, nihil esset ipsa aequalitate inaequalius". IX, 5, 3. Maximum exorabat: „caveret, ne quid ex cujusquam dignitate,

nihil e libertate nihil etiam e jactatione decerperet" VIII, 34, 3. Absit superbia, asperitas. Nec timueris contemptum. An contemnitur, qui imperium, qui fasces habet nisi humilis et sordidus et qui se ipse primum contemnit? Male vim suam potestas aliorum contumeliis experitur, male terrore veneratio adquiritur longeque valentior amor ad obtinendum quod velis quam timor. Nam timor abit, si recedas, amor manet, ac sicut ille in odium, hic in reverentiam vertitur." (ibidem 6.). Nonne hae sententiae sunt dignae, quibus omnes cujusvis saeculi viri, quibus rerum publicarum administratio commissa est, utantur?

Ac si haec quae de vita ingenio moribus Plinii enarravimus reliquaque omnia quae ad laudem ejus augendam amplius proferri possunt, „uno velut fasce complectimur" (III, 9, 9), illud in snmma dixisse sufficiet, illum virum excellentis ingenii magnitudine ornatum et praestantissimis ingenii facultatibus praeditum laude liberalitatis, comitatis, clementiae, integritatis vitae, sanctitate morum, fidei erga amicos, constantiae in summa etiam temporum iniquitate, summae honestatis pietatisque erga deos floruisse, maximam admirationem actionibus et libenter susceptis et plerumque prospere peractis, epistolis orationibus aliisque scriptis quae ut fide et veritate insignia, ita beatissima subtilitate et ingenii ubertate confecta sunt, non solum aequalium sed etiam posterorum sibi comparavisse denique ex omni parte dignum esse, qui summis et illustrissimis viris adnumeretur, quorum memoria tamdiu florebit, quamdiu litterae florebunt.

Vita.

Joannes Josephus Tanzmann formulae catholicae addictus natus sum in pago Ullersdorf, qui situs est in regione Leomontana anno hujus saeculi XXXI a. d. VII Calendas Apriles patre Benedicto, agelli possessore, quem praematura morte jam anno XXXVI mihi ereptum graviter doleo, et matre Rosina e gente Knobloch, quam deus optimus incolumem quam diutissime velit servare. Primis litterarum elementis ab adjutoribus ludimagistri illius pagi imbutus jam annum quintum decimum agens tutoribus permulta contradicentibus et opponentibus gymnasium adii Saganense, quod et tum florebat et nunc sub auspiciis Joa. Floegel viri clarissimi floret. Cujus gymnasii omnium praeceptorum memoria semper pie a me coletur; maximas vero gratias ago Kayser et Hildebrand, viris illustrissimis non solum de scientia sed etiam de insigni favore, quo semper me adjuverunt.

Anno h. s. LII maturitatis testimonio ornatus hanc almam Viadrinam adii et receptus inter cives ejus ab Henschel viro illustrissimo illo tempore fasces academicos tenente nomen dedi apud Ign. Ritter, virum clarissimum tum ordinis theologorum decanum. Atque his quum tribus semestribus vacassem studiis philologicis interea non neglectis, transii ad ordinem philosophorum et rite professus sum nomen apud

Braniss, virum clarissimum tunc hujus ordinis decanum. Anno autem LV h. s. in eas rei familiaris angustias incidi, ut verno hujus anni tempore ad curam privatae liberorum disciplinae suscipiendam cogerer apud Wandel, virum humanissimum qui sacerdotium gerit in pago Wirschkowitz in regione Miliciensi sito. Quo munere per quindecim menses perfunctus ad almam Viadrinam redii ac denuo studiis philologicis toto animo me dedi. Scholis interfui philologicis, historicis, theologicis apud viros illustrissimos:

Ambrosch, Bittner, Braniss, Friedlieb, Elvenich, Haase, Kahlert, Reinkens, Rossbach, Roepell, Rückert, Ritter, Stern.

Mox vero eadem causa, qua antea eram distractus a continuis studiis, commotus, ab Hugone de Hohenlohe, serenissimo principe accitus suscepi scholam privatam administrandam, in qua liberalitate illius principis Slawentzitzii sustentata pueri puellaeque eorum, quos princeps ille cuidam muneri praeposuit, erudiuntur.

Quamquam vero studia mea mecum rusticabantur iisque dabatur, quodcumque mihi supererat otium a munere educandi et tot tantisque officiis et curis distentus eram, ut perexigua temporis pars ad studia privata mihi relinqueretur, tamen hunc fructum studiorum meorum arbitrio virorum doctissimorum subigere conatus sum.

Theses.

I. Scripta C. Plinii Caecilii Secundi lectioni privatae discipulorum primae classis gymnasii merito commendantur.

II. Ingenium oratorium Plinii maxime elucet e descriptionibus.

III. In Plin. ep. III, 18, lego: Animadverto enim, verissima quaeque vel maxime satisfacere.

IV. In Plin. paneg. cap. LVI conjicio legendum esse: Speciosum, certam fori partem, quid immanes campos sella curuli victorisque vestigio premere.

V. Thucyd. I, 93 verba: *δύο γὰρ ἅμαξαι ἐναντίαι ἀλλήλαις τοὺς λίθους ἐπῆγον* spuria non esse contendo.